Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Dōdekaprophēton, Sive Theologia Prophetica, Ex Vatibus XII. Minoribus Secundum Seriem Articulorum Fidei

Majus, Johann Heinrich

Giessæ Hassorum, Anno MDCCIII

VD18 11197021

Locus VIII. De Peccato Actuali.

urn:nbn:de:gbv:45:1-17399

Visual Library

milibus vitiis nobiscum natis. Apol. A. C. pag. 53. De effectu demum Peccati originalis tristis testatur experientia, nimirum calamitas, miseria & perditio omnis generis, quemadmodum ex dictis colligitur. Effectus.

LOCUS VIII.
DE
PECCATO ACTUALI.

§. I

INter *effectus* Peccati Originalis etiam *actualia peccata* numerantur, quando homines depravati concupiscentia & libidine ardent, *sicut clibanus ardens accensus à pistore*, per quem Hebræi malam concupiscentiam intelligunt, Hos. VII, 4. *Seb. Schmid.* diabolum tamen putat pistorem esse, ignem autem concupiscentiam malam inflammatam. Utcunque fuerit, res eodem recidit. Videamus primum hujus peccati nomina, quæ originalis etiam naturam exprimunt. Dicitur (α) חטאה à חטא quod est *errare*, *aberrare* à via, vel scopo, unde peccatum erratum, delictum, erit. LXX. Interpretes ἁμαρτίαν plerumque vertunt. Hos. IV, 8. VIII, 13. Amos IV, 12. Mich. I, 13. III, 8. VI, 7. (β) פשע *transgressio* LXX. sæpius per ἀνομίαν interpretantur, nonnunquam etiam per specialia nomina, ut ἀσέβημα, Hos. VII, 13. VIII, 1. vel ἀσεβειαν. Amos I, 3. 6. 9. 11. 13. II, 1. 4. 6. III, 14. V, 12. Mich. I, 5. 13. III, 8. VI, 7. (γ) עון *Iniquitas* ab עוה *curvum fuit*, & cum ad animum refertur notat *perverse egit*. per ἀδικίαν frequentissime exponitur, Hos. IV, 8. V, 5. VII, 1. VIII, 13. IX, 7. XIV, 2. raro per κακίαν, Amos III, 2. per μάταιον, Hos. VI, 8. κόπον, Mich. II, 1. Zachar. X, 2. idemque (δ) עולה denotat, Mich. III, 10. Usurpatur tam pro malo culpæ, quam pœnæ, tam pro Originali, quam pro actualibus peccatis. (ε) משטמה *adversatio*, vel *odium intestinum* erga Deum, *satanicum*; LXX. per μανίαν reddunt, Hos. IX, 7. 8. quæ certa morbi species, quo qui laborant, mente capti vocantur. Alii deducunt ex שטה *declinavit*, *deflexit*, cum adversatione; cui cognatum שטן adversatus est, quia peccatis à via legis Dei deflectimus, eique adversamur. (ζ) בגד *Iniquitas*, *prævaricatio*, *perfidia*, à בגד prævaricari, Græcis ἐγκαταλείπειν, Hos. V, 7. καταφρονεῖν, VI, 7. (η) רשע *improbitas*, *inquietudo*, à רשע *impie & seditiose egit*, *commotus est*; quia impii subito moventur, & cupiditatibus rapiuntur, Hos. X, 13. Synonym.

X, 13. (θ) רע per κακὸν, κακίαν redditur. Hos. VII, 1. 2. 3. 15. X, 14. Joël III, 13. Jon. I, 2. IV, 2. vel τὸ πονηρὸν, Mich II, 1. III, 2. Nah. I, 11. (ι) נבלה *fatuitas*, Hos. II, 10. quia stultus est, qui contra legem Dei sanctam peccat, ignominiamque ac turpitudinem suam prodit. (κ) שקר *falsitas*, *mendacium* à regula veritatis discedens, Hos. VII, 1. Mich. VI, 12. Zach. X, 2. (λ) זמה excogitatum, vel conceptum animo *scelus*, Hos. VI, 9. (μ) טמאה *pollutio*, μίασμα, Hos V, 3. ἀκαθαρσία, Mich II, 10. (ν) חלי ægritudo, nempe quæ in animo est & cordi pariter ac corpori dolorem affert. Hos V, 13. (ξ) כזב *mendacium* LXX. ψευδὲς, Hos. 8, 13. & κενὸν reddunt, Hos. XII, 2. (ο) מרד à superiore *defectio*, *rebellio*, LXX. per ἀνίσχυν exprimunt, Hos. XIII, 9. (π) מזור *vulnus*, *ulcus*, LXX. per ὀδύνην, Hos. V, 13. per ἐνέδρα Obad. I, 7. reddunt. (ρ) שערוריה *horrendum* quid maxime, φρικτὸν, Hos. VI, 10. Majoris emphaseos gratia tertia radicalis geminatur & duplex litera hæemantica addita est. (σ) נאפים *adulteria*, μοιχείαι, Hos. VII, 4. legitur & geminata tertia radicali נאפופים Hos. II, 4. It. (τ) זנונים *scortationes*, πορνείαι, Hos. I, 2. II, 4. IV, 11. spiritualiter & corporaliter peccata sic dicuntur & committuntur. (υ) כחש *mendacium*, ψεῦδος, Hos. XII, 1. Nah III, 1. (φ) נדה *separatio*, *divagatio*, Hos. VII, 13. (χ) סרה *recessio*, *apostasia*, Hos. IX, 15. (ψ) מרמה *dolus*, Hos. XII, 1. (ω) תמרורים *amaritudines*, *exacerbationes*, Hos. XII, 15 דם *sanguis*, Joël IV, 20 Mich. III, 10 חמס *injustitia*, *violentia*, IV, 19. Mich. VI, 12. Hab. II, 17. & פרק *laceratio*, *ruptura*, Nah. III, 1. da man sich von GOTT loß reisset / und nicht an seine Gesetze will binden lassen. Hæc Spiritus S. Grammatica rectius nos in peccati notitiam deducit, quam latina lingua, *Calov* L. de Pec. p. 4. Quare tot peccati nomina negligenda non sunt, digne tamen ob brevitatem explicari à nobis nequeunt.

Causa non Deus.

§. II. Causam tantorum malorum non esse Deum, vel ex ejus attributis, bonitate, sanctitate, justitia apparet, de quibus L. de Deo §. II. quod ex Hos. I, 2. à nonnullis objicitur; Deum præcipiendo, ut Propheta mulierem fornicationum acciperet, videri causam fornicationis moralem: facilem habet solutionem. Nam Deus non scortari sed ducere mulierem tantum scortatricem jussit, cujus filii dubiæ quoque sint fidei, propter matris levitatem, ad idololatriam & spiritualem populi Israëlitici fornicationem arguen-

Landesbibliothek Oldenburg

guendam. Alii, cum Molinæo & Riveto, allegorice & parabolice intelligenda censent; sed obstat textus perspicuitas & præcepti repetitio, Cap. III, 1. s. intentio Dei & obsequium Prophetæ. vid. *Glass.* Grammat. Sac. Tr. 3. can. 14. Neque hoc Deum peccati autorem facit, quod varie ad id concurrit (1.) ratione *præscientiæ*, quæ fatalem rebus necessitatem non adfert, cum Deus nec peccatum, nec pœnam peccati velit, sed pœnitentiam, ceu ex Jona liquet, c. III. 4. ss. (2.) ratione *permissionis*, Hos. IV, 14. 16. 17. VIII, 4. XIII, 11. Am. IV, 4. (3.) ratione *ordinationis ad bonum*, Hos. II, 9. Amos. IV, 12. Ita Jonæ fugam ex inobedientia profectam, Deus permisit, & direxit, ut ansam nautis cognoscendi & ulterius inquirendi verum Deum suppeditaret, I, 16. ejusque ex visceribus piscis post triduum incolumis evasio II, 2. 11. insignis Dei circa suos providentia, inprimis mortis ac resurrectionis Christi typus ac exemplar existeret. Causa itaque peccati tribuenda tum *diabolo*, homines seducenti, per idololatriam inprimis, Hos. IV, 12. V, 4. quæ Amos II, 4. *mendacium* vocatur, à Patre mendaciorum diabolo profectam. conf. Joh. 8, 44. Hos. VII, 6. Causa mali impulsiva cum pistore calefaciente, qui juxta *Schm.* diabolus est, exprimitur, qui calefacto furno seu materia mali subministrata, tamdiu dormit, ac massam fermentari patitur, donec opportunum tempus nactus subito prorumpat. Tum *liberæ* hominum *voluntati*, in agendo sponte sua deficienti. Hos. V, 11. *Ephraim quia voluit, ivit post jubere.* XIII, 9. *Perdidit te ô Israël &c.* XIV, 2. *Propter iniquitatem tuam corruisti.* Obad. 3. *Superbia cordis tui te decepit.* Mich. VII, 13. *Terra propter fructum operum suorum in desolationem erit.*

Causa per se.

§. III. Formale peccati in ἀνομία seu illegalitate consistit. Hos. IV, 6. VIII, 1. 12. Amos II, 4. Sophon. III, 4. Mal. II, 8. Ideo peccatores שטים *declinantes* dicuntur, Hos. V, 1. Peccato hoc omnes omnino homines coinquinati sunt. Mater, quæ omnia membra comprehendit, spiritualis adulterii accusatur, Hos. II, 4. 7. Ideo tres potiores status propter peccata redarguuntur. VII, 4 Mich. VII, 2.

Forma.

Subjectum.

§. IV. Peccatum vero cum concipiens peperit, desperatos conscientiæ morbos efficit, Hos. VII, 2. *Circumdant eos actiones ipsorum.* X, 8. *Tum dicent ipsis montibus, tegite nos, & collibus, cadite super nos.* conf Apoc. 6, 16. XIII, 13. *Dolores parturientis obveniet ei.*

Effectus per se.

Landesbibliothek Oldenburg

Joël II, 6. *Omnes facies expallescent*, pallida morte veniente. Mich. IV, 9. *Apprehendit te dolor sicut parturientem.* Nah. II, 10. *Cor liquefiet, & titubatio genuum, dolorque in omnibus lumbis, facies quoque omnium colligent atrorem.* *Nunc rei sunt*, Hos. X, 2. אשמו vel *vastabuntur*, ut quidam reddunt. Unum enim ex alio sequitur; malum culpæ excipit malum pœnæ. Hos. IV, 3. Joël I, 18. 20. *Bestiæ agri quoque propter peccata publica affligi* dicuntur: quæ tamen proprie loquendo non puniuntur, quemadmodum *Hugo Grotius* Libr. II. de Jure Belli ac Pacis c. XXI. §. 11. & *Pufendorf.* L. II. de Jur. Nat. & Gent. III. 3. observarunt; cum pœna peccatum præsupponat, & delicto reddatur, hoc autem, quia contra legem fit, in bruta non cadat; quare non tam bestiæ puniuntur, quando intereunt, quam homines, qui utilitatibus ex iis capiendis privantur. Omnia mala pœnæ Deus propter mala culpæ hominum infert, testibus Prophetis. *An erit malum, quod Jehova non efficiat?* Am. III, 6. Mich. I, 12. ubi רעה græce κακία malum quodvis nobis adversum significat, quodque natura fugimus. Joël II, 13. Amos IX, 4. Obad. 3. Jon I, 7. III, 10. IV, 2. Mich. II, 3. Nah. II, 14. III, 5. Hinc pœnæ temporales, Joel IV, 13. Mich. I, 5. VI, 13. quæ vel *privatæ* s. *personales* sunt, in singulis fere Prophetarum paginis obviæ, vel *publicæ* s. *communes*, è quibus quinque præcipue eminent. (1.) *Bellum*, Hos V, 8. IX, 13. X, 9. 14. XI, 6. Joel III, 9. 10. Amos II, 2. IV, 10. VI, 14. VII, 9. IX, 1. 10. Mich. VI, 14. Nah. II, 13. III, 2. 3. 15. Hab. I, 6. seqq. &c. (2.) *Fames*, Hos. II, 11. IV, 10. IX, 2. Joël. I, 7. 10. 11. 12. 16. Amos IV, 6—9. V, 16. Mich. VI, 14. cum spirituali nonnunquam conjuncta, Amos VIII, 11. conf. Hos. II, 3. (3.) *Pestis*, Amos IV, 10. conf. Exod. XII, 19. Habac. III, 5. (4.) *Bestiæ*, Hos. II, 14. Joël I, 4. 6. Amos VII, 1. (5.) *Captivitas* s. *exilium* Hos. IX, 6. Amos I, 15. V, 27. VI, 7. VII, 11. 17. Nah. III, 10. Quæ pœnæ plerumque se excipiunt, & si tandem pœnitentia non sequitur, cum excidio totali conjunctæ sunt, quod & verbo significanti רמה & re ipsa exprimitur. Hos. IV, 6. *Excisus est populus meus*, X, 7. *Excisa est Samaria*, v. 15. *Excisus est Rex Israël.* Obad. 5. *Quomodo excisus es, ô Edom!* Quoad *rem*, vide Hos. I, 4. 6. II, 5. IX, 16. XIII, 3. Amos II, 9. IV, 2. VI, 9. 10. 11. VII, 8. VIII, 2. Obad. 10. 16. 18. Habac. III, 13. Sophon. II, 5. III, 6. Ad pœnas æternas verba refero æternæ, Hos. IX, 3. *Non habitabunt in terra Domini*: quæ quidem de promissionis

Reatus culpæ.

Pœnæ.

temporales.

ſionis terra Canaan loquuntur, nihilo tamen minus ad æternam iſtam quietem, cujus typus Canaan erat, reſpiciunt. De Edom Obad. 10. dicitur; *Exſcinderis in æternum.* Omnes verò pœnæ communi *mortis* voce comprehendi cenſentur, Hab. III, 5. *Ante pedes ejus ibit mors.* conf. Gen. II, 17. Quæ licet multæ gravesque ſint, plerumque tamen ab impiis ſusque deque habentur. Sophon. III, 2. 5. Vid. infra de Obdurat. Piis vero ſacrum horrorem omnino injiciunt Hab. III, 2. 16. & non ad remedium tantum quærendum excitant, ſed & compellunt, Hoſ. VI, 1. Joël I, 19. Amos IV, 12. Id nî fiat, Deus conqueritur, Hoſ. VII, 7. 9. 10. 11. Amos IV, 6. 8—11. Quapropter in pœnis non eſt murmurandum, Amos V, 13. VI, 10. VIII, 3. Mich. VII, 9. Habac. II, 20. Sophon. I, 7. Zach. II, 13. ſed precibus ad Deum fugiendum, Amos VII, 2—6. Jon. II, 3. Habac. III, 2. & exemplo Ninivitarum ſerio pœnitendum. Jon. III, 10. Peccatores autem Deus non exaudit, Mich. III, 4. Zach. VII, 13. (vid. L. de Pœnitent.) Ita mala partim immiſſa, partim imminentia vel temperari vel averti poſſunt. Hinc illuſtris divinæ miſericordiæ & longanimitatis declaratio elucet. Hoſ. II, 3. 25. XI, 8. 9. Amos IV, 11. Zach. III, 2. Licet autem divina clementia imminentem peccatoribus vindictam, ad veros pœnitentiæ fructus eliciendos nonnunquam differat, nihilo tamen minus, ſi ii non ſubſequuntur, tarditatem ſupplicii gravitate compenſat, Hoſ. XIII, 12. Joël IV, 13. Amos VII, 8. VIII, 2. 7. Mich. IV, 12. V, 14. Hinc judicii dies ut quam maxime *terribilis* deſcribitur, Joël II, 2—11. ut *luctuoſiſſimus*, Amos V, 16. quia *perditio* velox, *præciſa & gravis* erit, Mich. II, 10. cedetque in *proverbium & lamentationis formulam*, verſ. 4. ac *riſum*, VI, 16. Eo faciunt ſequentia: Nah. III, 6. *Vilem faciam te.* verſ. 7. *Omnes videntes te, fugient à te.* verſ. 19. *Omnes audientes famam tuam, manus ſuper te complodent.* Habac. I, 5. *Videte inter gentes, & circumſpicite & miramini, quia opus ſum operaturus in diebus veſtris, quod non credetis, quando annunciabitur.* II, 6. *Omnes ſuper eo proverbium afferent, ac dicterium & ænigmata de eo.* Sophon. II, 15. *Quomodo facta eſt in vaſtitatem, cubile feræ? omnis transiens ſuper ea ſibilabit, movebitque manum ſuam.* Pœnarum etiam gradus ſunt. Majoribus enim beneficiis adfecti, majores pœnas luent. Amos III, 2. Nec eſt, quod quis omnipotentis Dei manum effugere ſe poſſe, cogitet, quia *verax* eſt in ſuis comminationibus: Unde

Effectus pœnæ accidens.

Adjunctum gravitas.

Gradus pœnarum.

Certitudo.

Landesbibliothek Oldenburg

Matri Synagogæ pœnam denuncians addit: *Vir non eripiet eam è manu mea.* Hos. II, 12. *In ipsa aurora Rex Israëlis excisus est.* X, 15. *Luther.* Das ist bald und plötzlich. Joël I, 15. IV, 14. Sophon. I, 7. &c. *Propinqui diei* mentio fit, *cui nulla est ereptio,* II, 3. Amos II, 14. IX, 1. 2. 3. 4. Obad. 4. Mich. II, 3. VI, 14. Sophon. I, 18. Mal. III, 5. *Exemplis* id demonstratur. Jonas à facie quidem Domini aufugere tentabat, effugere tamen nequiit. I, 4. *Similibus* declaratur, desumtis à cursu & *velocitate equitum*, Joël II, 4. conf. Apoc. 9, 7. Habac. I, 8. *aquilæ* ibid. Hos. VIII, 1. à *rete & hamo piscatorio.* Hos. VII, 12. Amos IV, 2. conf. Habac. I, 15. Evadere volentes in majus periculum incident. Amos V, 19.

Divisio. §. V. Varias peccatorum divisiones Hoseas inprimis tangit, quas paucis indicabimus, cum plura Decalogus suum infra locum habiturus suppeditet. 1. *Voluntaria* innuuntur verbis Hos. IV, 8. *Ad iniquitatem tollere animam*, id est, anxie summoque cum studio desiderare, item VI, 9. *Scelus facere*, זמה enim præmeditatum, deliberatum adeoque voluntarium peccatum indicat. Mich. VIII, 3. *Ad malum manuum suarum diligenter intentum esse.* Sophon. III, 7. *Omnes actiones suas corrumpere studio.* Unde quæ *Regnantia* sint peccata, etiam constat. Prophetæ ejusmodi peccatores ipsis brutis assimilant, ut *juvencis refractariis*, Hos. IV, 16. *Onagris.* Hos. VIII, 9. *Vaccis pinguibus*, Amos IV. 1. Quæ *involuntaria* sint, ex opposito colligitur. Huc locus de *Scandalo* pertinet, quod duplex, *datum* & *acceptum.* Eo refero Hos. V, 1. ubi de Sacerdotibus, Principibus & toto populo Israël dicitur, quod scandalum aliis dederint, dum *laqueus Mizpæ, & rete expansum super Thabore fuerint.* Idem de falsis Prophetis ait IX, 8. & de Hierosol. quod *origo peccati filiæ Sionis, & in ea inventæ sint defectiones Israëlis*, Mich. I, 13. de Sacerdotibus Mal. II, 8. scribit, quod *impingere fecerint multos in lege.* Jonas etiam inobedientia sua nautis scandalum præbuit, I, 11. Ad *acceptum* spectat Hos. IV, 13. Mich. I, 5. Utrumque Deus pro sua erga Jehudam bonitate olim præcavit, Hos. IV, 15. Alia peccata sunt *commissionis*, de quibus pleni sunt omnes Prophetarum libri: Alia *omissionis*, de quibus vide Hos. IV, 1. 10. X, 3. Sophon. III, 2. item *aversionis à Deo*, & *conversionis ad creaturas.* Hos. I, 2. II, 15. III, 1. IV, 12. VII, 13. 14. Quædam sunt *interiora*, ut (a. carnis suggestiones, primique concupiscentiæ

Ratione causæ efficientis.

Rat. actus.

Rat. subjecti.

ſcentiæ motus, qui *ſpiritus*, Hoſ. IV, 12. V, 4. & *cogitationum malarum*, Hoſ. VII, 15. Mich. II, 1. 2. appellatione nonnunquam indigitantur. Inſignis locus eſt, Hoſ. VII, 4. 6. 7. ubi cor impiorum cum fornace accenſo comparatur. Accedunt (b. carnis delectationes, Hoſ. VII, 5. IX, 1. Mal. II, 17. *Exteriora*, vel *in geſtibus*, Hoſ. II, 17. vel *verbis*, Hoſ. IV, 2 X, 4. vel *factis*, ibid. &c. Alia peccata ſunt in *Deum*, Hoſ. IV, 7. V, 7. VI, 7. VII, 13. ibid. v. 15. XIII, 9. XIV, 1. Joël III, 4. Amoſ. II, 7. Nah. I, 11. Sophon. I, 17. Mal. III, 13. II, 17. Alia in *proximum*, Amos I, 11. Obad. 10. Hab. II, 15. Eo etiam hæreſis refertur. Unde Deus Iſraëlitis exprobat, quod *filios alienos genuerint*, i. e. apoſtatas, idololatras fecerint, Hoſ. V, 7. & Sacerdotibus, quod tanquam rem extraneam legem reputarint, *Luth.* Sie ſchelten Ketzerey. Hoſ. VIII, 12. Aliud porro *manifeſtum* eſt, aliud *occultum*, quod hominum reſpectu ita dicitur: Deo enim minime incognitum eſt, Hoſ. VII, 2. Peccatum aliud alio eſt gravius, reſpectu (α) *perſonæ peccantis*, in ſtatu Eccleſiaſtico, Sacerdotum, qui ſæpius propterea redarguuntur, Hoſ. IV, 9. V, 1. VI, 9. IX, 8. Mal. I, 6. II, 1. ſſ. Politico, Hoſ. IX, 15. *Omnes Principes eorum apoſtatæ ſunt.* (β) *Perſonæ, quæ offenditur*, ut, *Deus*. Omnia vero peccata contra ipſius ſanctitatem pugnant. (vid. diviſ. rat. Objecti.) *Homo*, præſertim fideles. *Qui vos tangit, pupillam oculi mei tangit*, Zach. II, 8. Infideles, Nah. III, 4.

Rat. Objecti.

Rat. Conſequentis.

Rat. graduum & ſtatuum.

§. VI. Omnium vero peccatorum maximum eſt *Induratio*, cujus ipſe homo autor principalis & directa eſt, qui ſe ipſum ex continuo peccandi ſtudio ſua malitia & contumacia indurat, & Spiritui S. converſionem ipſius intendenti reſiſtit, & Diaboli ſuggeſtionibus obſequitur. Hujus criminis ſæpe Iſraël accuſatur. Hoſ. VII, 10. Amos IV, 6. 11. Zach. I, 4. VII, 11. 12. Mal. III, 7. Nulla autem ratione Deus indurat, quando induratio ut peccatum & cauſa peccati ſpectatur, quin potius ab hoc crimine procul ipſum abeſſe patet, ex divina indurationis *prohibitione*, Zachar. I, 4. *contrario beneplacito*, itaque contra induratos, Zach. VII, 12. & *pœna*, ibid. v. 13. 14. Subjectum etiam indurationis, cum objecto & forma ex hoc Zachar. loco liquet. Iſtud quod ſint homines, quibus Deus voluntatem ſuam luculenter & ſufficienter patefecit, illi tamen *audire renuerunt, cervicem duram dederunt, aures obdurarunt, ne audirent, cor inſtar adamantis poſuerunt, ne audirent legem & verba, quæ miſit Dominus exer-*

Cauſa efficiens.

Subjectum.

Landesbibliothek Oldenburg

cituum in Spiritu suo per Prophetas, quibus non tantum Lex sed etiam Evangelium comprehenditur. Consistit igitur induratio in inobedientia malitiosa & insanabili, & violenta resistentia, quando aures obturantur, cor in adamantem ponitur, & quasi callo obducitur, ne videat, audiat, intelligat &c. ceu ex ll. citat. colligitur. Unde varia & gravissima *scelera* oriuntur, quæ Vates redarguunt, & de quibus passim conqueruntur, ut Hoseas IX, 9. *Profunde corruperunt se*, h. e. ita sceleribus immersi sunt, & tam altas radices ipsorum malitia egit, ut exstirpari amplius nequeat. c X, 15. *Propter malitiam malitiæ vestræ*, h. e. summam malitiam. Joël III, 13. *Multiplicata est malitia eorum*, Amos I, 3. seqq. II, 1. seqq. obstinata malitia indicatur, quod tribus peccatis quatuor, & multis plura adjecerint, adeoque nullum peccandi finem fecerint. V, 12. *Cognovi multa scelera vestra, & fortia peccata vestra.* Hinc Amos IX, 7. Israëlitarum peccata filiis Æthiopum assimilantur. Unde non possunt non pœnæ temporales & æternæ manere induratos. De quibus iterum Vates in locis indicatis. His adde sequentia: Mich. V, 15. *In ira & furore suo ultionem contra gentes faciet*, Mich. V, 15. Idem apud Malach. II, 2. Deus denunciat: *Nisi auscultaveritis, & nisi animo indideritis*, (conf. Hagg. I, 5. 7. & II. 18. 19.) *& tribuatis gloriam nomini meo, ait Jehova exercituum, tum omnino immittam in vos maledictionem, maledicam ipsis benedictionibus vestris, maledixi earum unicuique, quia non indutis animo.* De æterna damnatione idem ait: *Percutiet Deus terram anathemate.*

Forma.

Effectus. peccati gravitas.

pœnæ temporales.

æterna.

LOCUS IX.

De

LIBERO ARBITRIO.

CUm *liberum* hominis *arbitrium ad bonum*, pars imaginis divinæ fuerit, arbitrium vero *servum ad malum* pars sit peccati, locum hunc antecedentibus nexu convenienti subjungimus. Scriptura hominis non renati intellectum, ut nulla Dei agnitione imbutum, Hos. IV, 1. 6. non sapientem, nec intelligentem v. 11. 14. depingit. Ex quo corrupta & plane emortua *voluntas* oritur, *cordisque defectu* indicatur. VII, 11. Arbitrium itaque hominis in spiritualibus nullum imo servum est. Confirmatur id α. *dictis*, quibus asseritur, quod Israëlitæ

Landesbibliothek Oldenburg